

- Quibus placet coemptio
 Uno signato corio.
54. Dicit sutor 'quantum dabo
 Hoc pro bovino corio?'
 Respondit major subito:
 "Tres libras da continuo!"
55. Sutor inquit 'es ebrius,'
 Major ait 'sum fatuus,
 De tribus libris minimum
 Non dimittam denarium.'
56. Tunc infit sutor setifer:
 'Si dicis joculariter,'
 E contra major somnifer
 Tres libras clamat firmiter.
57. Vulgaris ammiratio
 Sonoro mox fit in foro
 Est vulgus in spectaculis,
 Relictis mercimoniis.
58. Ira commotus presbyter
 Majori dicit duriter:
 'Insulse, nescis vendere
 Quod praesentas hic publice.
59. Hac hasta discerno meum
 Trium librarum corium;
 Solve, sutor, marsuppium,
 Audisti fixum numerum.'
60. Quam mensuram commercii
 Profert sensus presbyteri,
 Sutor subinfert: 'stultior
 Non est in terra venditor.
61. De qua sint hi provincia?
 Dicant tres in praesentia,
 Qui putant boum tergora
 Divitiarum maxima.